



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 172. Carvajalus Legatus in Bohemiam a Papa ablegatus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

## §. CLXXII.

Sæcul. XV.

A. C. 1448.

*Carvajalus Legatus in Bohemiam a  
Papa ablegatus.*

Carvajalus a Pontifice in Germaniam missus mandatum accepit, ut Bohemiam pariter adiret. Sperabatur enim, Maynardum Regni Governatorem prorsus omnia ita disposuisse, ut populus ad Romanæ Ecclesiæ sinum facile reduci posset. Attamen quod reddendæ unioni vel maxime necessarium, præcipuumque fuisset, Legatus secum afferre intermisit, nempe literas Pontificias, quibus Rochifanæ Pragensis committeretur Archiepiscopalis Ecclesia. Nihilominus Legatus Pragam totius Bohemiæ Metropolim ingressus est, cruce, aliisque dignitatis suæ insignibus decoratus, comitia quoque, ubi de Regni negotiis agebatur, adiit, utroque Governatore Maynardo, & Petrascone, Regni Proceribus, Clero, Academia, & populo ultro obviam progressis. Adstitit etiam orationi a Bohemis dictæ, qua magnificis omnino encomiis Sedem Apostolicam, atque Pontifices, Eugenium, & Nicolaum, necnon Sigismundi Imperatoris defuncti memoriam, ipsumque Joannem Legatum celebrabant, brevique sermone exponebant, quæ circa communionem sub utraque specie

Sæcul. XV. specie inter Basileenſe Concilium, & Bo-  
 A.C. 1448. hemos acta fuiſſent; quibus dictis duo  
 petebant, nimirum I. ut conventa, quæ  
*compactata* vocabant, firmarentur. II. Ut  
 Joannes Rochiſana auctoritate Apoſtoli-  
 ca Pragenſis Archiepiſcopus initiaretur.

## §. CLXXIII.

*Legati reſponſum ad Bohemorum  
 poſtulata.*

*Cochl. hiſt.*  
 l. 10.

Cardinalis ad ea, quæ Bohemi poſtula-  
 bant, reſpondens dixit; ſe in iis, de  
 quibus jam antea conventum eſſet, bre-  
 vi ipſorum votis ſatisfactorum: ante-  
 quam vero de Rochiſanæ inaugu-  
 ratione ageretur, prius Pragenſis Ec-  
 cleſiæ bona reſtitui voluit, ne ad Archie-  
 piſcopalem dignitatem evectus, cum ſta-  
 tus ſui injuria victum ab aliis mendicare  
 cogeretur. Demum hortabatur eos, ut  
 Hungarorum exemplo Ladislaum pue-  
 rum ut Regem ſuum legitimum agno-  
 ſcerent, ſicque regno pacem redderent.  
 Ubi vero Bohemi reſpondebant, diffici-  
 lem nimis fore bonorum Eccleſiæ reſti-  
 tutionem, ſeque aliunde Rochiſanæ ſu-  
 ſtentationi proviſuros, cum nulla melioris  
 eventus ſpes affulgeret, re infecta conven-  
 tum ſolverunt.

## §. CLXXIV.